

tur, subjectum neutri oppositorum contrarium est. Cum ergo potentia animæ sit subjectum culpæ, & virtutis, videtur quod per culpam non corrumpatur. **4.** Præterea. Nihil agit ad sui corruptionem. Sed causa peccati est ipsa anima per potentiam naturalem. Ergo peccatum non corrumpit potentiam naturalem animæ.

5. Præterea. Nulla potentia corrumpitur per hoc quod in actum reducitur. Sed potentia naturalis peccando reducitur in aliquem actum in quem erat in potentia. Ergo per peccatum non corrumpitur, sed perficitur.

6. Præterea. Si per peccatum anima corrumpitur, aut ergo quantum ad esse primum, aut quantum ad esse secundum. Non quantum ad esse primum, quia sic statim homo peccando esse desineret. Si quantum ad esse secundum, hoc totum tollitur per primum peccatum, quod gratiam subtrahit: ergo sequens peccatum nihil in anima corrumpit; & sic non erit commune omni peccato corrumpere naturales potentias animæ.

Sed contra. Nihil efficitur aliud, nisi per hoc quod corruptum est. Sed in IX. Ethic. cap. III. dicit Philosophus, quod homo per actum vitii efficitur non solum alter, sed alius. Ergo peccatum naturam animæ corrumpit.

Præterea. Perfectioni opponitur corruptio. Sed Philosophus dicit (a) in II. Ethic. cap. v. quod homo acquirens virtutem non dicitur alterari, sed perfici. Ergo cum peccatum virtuti opponatur, videtur quod homo peccando non alteretur, sed magis corrumpatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quando aliquid est in potentia ad diversa, hoc contingit dupliciter. Uno modo sic quod utrumque eorum ad quod est in potentia, æqualiter sit debitum ei, & effectivum naturæ ipsius; sicut patet in corpore cælesti, in quo renovantur diversi situs, quorum unus non est sibi magis debitus quam alius; & ideo quando acquiritur aliquem situm de illis pluribus, non simpliciter dicitur perfici; nec quando amittit, corrumpi: quia amittendo unum, acquirit alium æquivalentem; & ideo in tali amissione non est malum: quia supra orbem lunæ malum consistens in defectu naturali, esse non potest: & quasi simile est in corpore, quod est potentia album, & nigrum: & ideo in acquisitione, & amissione talium, proprie est transmutatio, non autem simpliciter perfectio, vel corruptio. Alio modo sic quod alterum eorum simpliciter est debitum ei quod est in potentia ad utrumque, & alterum est indebitum ei; & tunc acquisitio illius quod est debitum sibi, dicitur perfectio ejus, & amissio dicitur corruptio. Verbi gratia, potentia animæ est in potentia ad habitum virtutis, & vitii; sed habitus virtutis est debitus sibi, quia per eum ordinatur in finem proprium; habitus autem vitiosus est indebitus sibi, quia per eum discedit à rectitudine finis proprii; & ideo quando aliquis acquirit virtutem, non dicitur simpliciter esse alteratus; sed magis perfectus.

Ad (1) Al. quando mutatur. (2) Al. agit suam corruptionem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) VII. Physic. Quod subjungitur ut ex VII. Phys. & ibi text. xvii. ac deinceps habetur, prius male in ms. ex VI. Physic. & in Gotth. ex VII. Ethic. indicabatur, nec melius hic II. Ethic. & ad marginem, cap. v. sive Græc. lat. IV. ubi tantum dicitur, quod per virtutes & vitia non movemur, sed quodammodo disponimur.

tus, ut in VII. Physic. à text. xvi. usque ad xx. dicitur; & è contra quando habitus vitii in eo acquiritur, dicitur corrumpi, (1) quasi mutatus ab eo quod est sibi conveniens secundum naturam, in id quod est sibi non conveniens, ut quodammodo in aliam naturam transeat: quia in conditionem, & proprietatem alterius naturæ mutatur; sicut qui iracundus efficitur, transit in proprietatem carnis; & ideo Boetius dicit, de Consol. Lib. IV. pros. 111. quod homines dum peccant, naturam hominis quodammodo amittunt, & sic quædam bruta animalia fiunt. Homo enim est illud quod est per rationem; ultima vero perfectio in brutis est secundum partem sensibilem: unde quando homo ab eo quod est conveniens secundum rationem, transit in id quod parti sensitivæ convenit, mutatur à conditione humana in conditionem brutalem; & per hunc modum peccatum, vel culpa, quod in actu consistit, dicitur corrumpere animam, vel potentias, secundum scilicet quod pervertit eam ab ordine rationis per quem in debitum finem dirigebatur.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectiones naturales possunt considerari dupliciter: vel quantum ad esse primum; & sic per peccatum non corrumpuntur: manet enim & intellectus, & voluntas, & omnia hujusmodi: vel quantum ad ordinem quo in finem ordinantur; & sic per peccatum corrumpuntur, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod sicut est duplex perfectio, scilicet prima, & secunda; ita etiam est duplex corruptio. Una per quam tollitur perfectio prima, per quam res esse primum habebat; & talis corruptio speciei mutationem facit: sed sic culpa naturam hominis non corrumpit. Alia corruptio est per quam tollitur perfectio secunda, per quam res in esse secundo completo perficitur; & hoc speciem non variat, sed tantum speciei complementum tollit: & hoc modo culpa naturam humanam corrumpit.

Ad tertium dicendum, quod subjectum ad contraria dupliciter potest se habere, ut dictum est, in corp. art. vel ita quod utrumque æqualiter sit debitum sibi; & tunc non magis per unum quam per alterum corrumpitur: vel ita quod unum sit debitum sibi, & alterum indebitum; & tunc per unum simpliciter perficitur, & per alterum simpliciter corrumpitur. Quamvis enim alterum contrarium, per quod corrumpitur, non sit sibi contrarium quantum ad esse primum, quia utriusque contrariorum subjicitur; tamen sibi est contrarium quantum ad esse secundum, in quod subjecti natura ordinatur.

Ad quartum dicendum, quod nihil (2) agit ad suam corruptionem, intendens illam; sed non est inconveniens ut per actionem alicujus sequatur corruptio ejus præter intentionem agentis; & sic per accidens aliquid suæ corruptionis causa est, sicut patet in infirmo, qui comedit nociva, ex quibus mortem incurrit: intendit enim delectationem in cibo; sed præter delectationem sequitur mors: & similiter est in eo qui peccat: intendit enim delectari in opere peccati; sed corruptio animæ præter intentionem ejus sequitur.

Ad (1) Al. quando mutatur. (2) Al. agit suam corruptionem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) VII. Physic. Quod subjungitur ut ex VII. Phys. & ibi text. xvii. ac deinceps habetur, prius male in ms. ex VI. Physic. & in Gotth. ex VII. Ethic. indicabatur, nec melius hic II. Ethic. & ad marginem, cap. v. sive Græc. lat. IV. ubi tantum dicitur, quod per virtutes & vitia non movemur, sed quodammodo disponimur.

Ad quintum dicendum, quod potentia non corrumpitur, si reducatur in actum illum ad quem est de se ordinata, & qui est debitus sibi; sed talis actus non est peccatum: & ideo ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod peccatum corrumpit animam non quantum ad esse primum, sed quantum ad esse secundum. Sed esse secundum potest dupliciter considerari: vel secundum quod est in actu; & sic tollitur per peccatum primum, & non per secundum; sed hoc est per accidens, quia secundum peccatum non invenit ipsum: vel secundum quod est in habitate; & sic, ut ex prius dictis patet, per quodlibet peccatum diminuitur, (3) & tamen nunquam totaliter tollitur.

EXPOSITIO TEXTUS.

Voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vult. Videtur hoc non esse in quolibet peccato commune. Aliquod enim peccatum est quod est ad corrumpendum, & non ad aliquid acquirendum, ut patet in homicidio, & invidia, & hujusmodi. Sed dicendum, quod intentio sive voluntatis, sive naturæ nunquam per se terminatur ad non esse, vel ad corruptionem, sed semper ad aliquid bonum ipsi intendenti; quamvis præter intentionem sequatur malum, vel corruptio, sine qua bonum intentum esse non potest; ut patet in igne, qui intendit formam suam in materiam inducere, ad quam sequitur corruptio aeris: similiter etiam voluntas intendit aliquid bonum ipsi volenti, quod sine corruptione alterius non est, sicut vult quietem suam, quam suspicatur esse non posse sine morte adversarii, vel aliquid hujusmodi.

Voluntas enim, ut superius dictum est, motus animi est. Hic sumitur voluntas pro actu voluntatis, & non pro potentia ipsa.

Non (4) enim consisteret peccatum prævaricationis, si interdictio non fuisset. Verum est, vel legis scriptæ, vel naturaliter inditæ.

Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset. Videtur hoc esse falsum: quia virtus à malitia non dependet, sicut nec bonum à malo. Sed dicendum, quod in sacra Scriptura aliquid dicitur fieri, & esse, quando innotescit; & similiter per oppositum non esse, quando ignotum est: & quia virtus non manifestatur nisi per malitiam oppositam, ideo dicit, quod si non esset peccatum, non esset virtus: & ideo subjungit: *Subsistere, vel eminere non posset.* Sciendum etiam, quod hic *Quid est peccatum nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum?* debet poni illa notula quæ in superiori distinctione in aliquibus (5) Libris posita est, quæ sic incipit: *Joannes ait, Epist. I. cap. III. 4. Qui facit peccatum, iniquitatem facit.*

Quocirca diversitatis hujusmodi verborum occasione,

DISTINCTIO XXXVI.

Quod quædam simul sunt peccata, & poena peccati; quædam peccata, & causa peccati; alia vero peccata, & causa, & poena peccati.

Sciendum est tamen, quædam sic esse peccata ut sint etiam poenæ peccatorum. Unde Augustinus super illum locum Psalm. LVII. „Supercecidit ignis, & non viderunt solem, ait: Ignis superbia, & in II. Sent. Tom. II.

(3) Al. hæc verba ponebantur initio expositionis textus hac serie. Et tamen nunquam totaliter tollitur voluntas &c. (4) Al. Non consisteret peccatum, sed interdictio &c. (5) Isti Libri quos citat Aquinas, non sunt obvi, (6) Al. non habebit.

de peccato plurimi diversa senserunt. Ex prima enim diffinitione occasionata est opinio quæ dicit, tam in actu interiori, quam exteriori peccatum consistere; ex secunda vero ejusdem occasionatur alia opinio quæ dicit, peccatum esse tantum in actu voluntatis; ex tertia vero Ambrosii occasionatur alia opinio quæ dicit, solum in privatione peccatum consistere, & non in actu.

Quidam autem diligenter verba Augustini attendentes... non indocte tradunt, voluntatem malam, & actus malos, in quantum sunt... bona esse. Hæc opinio in hoc differt ab illa quam prius posuit: quia hæc loquitur de malo, cujus ratio tantum in privatione consistit; alia vero quam supra posuit, loquebatur de peccato, quod complectitur simul privationem, & actum.

Item probans nihil casu fieri in mundo, ait in eodem &c. Videtur hoc esse falsum: quia omne quod fit ut in minori parte, fit casu. Si igitur nihil fiat casu, nihil erit proveniens ut in minori parte. Sed si nihil sit hujusmodi, omnia ex necessitate contingunt: quia ea quæ sunt frequenter, non deficiunt à necessariis, nisi secundum quod possunt in minori parte deficere, ut in VII. Metaph. habetur.

Sed dicendum, quod effectus proveniens ut in minori parte, potest considerari dupliciter: vel in ordine ad causam proximam, præter cujus intentionem accidit; & sic casuale, vel fortuitum est: vel in ordine ad causam primam, cujus præsentiam nihil præterfugit; & ita casu non fit.

Ad quod dicunt, his atque hujusmodi dictionibus... vere aliqua poni. Ista solutio procedit secundum illam opinionem quæ ponit in peccato omissionis actum esse; sed secundum aliam opinionem solvetur ista objectio, quia privationi qua malum omissionis dicitur malum, substat res bona, scilicet potentia in actu non exiens.

Potest etiam quæri ab eisdem, cum peccatum sit, ut supra dictum est, privatio, vel corruptio boni, & omnis actus malus sit peccatum, utrum sit privatio, vel corruptio boni, in quantum peccatum est, vel non. Hæc objectio sic procedit. In peccato duo sunt, scilicet actus substantia, & malitia. Quod ergo peccatum dicitur corruptio boni, aut habet hoc in quantum est malum, vel in quantum est actus, ex quo bonitatem habet. Si primo modo, cum omnis corruptio boni poena sit; peccatum in eo quod peccatum, vel malum, erit poena, & à Deo: quod est inconveniens. Si autem ex parte actus habeat quod sit corruptio boni, cum actus omnis, in quantum est actus, sit bonum; tunc, in quantum est bonum, (6) habebit quod corruptat bonum: quod videtur inconveniens. Ergo oportet ut illud quod est in peccato, præter deformitatem, & corruptionem, unde ratio mali causatur, non sit res bona. Sed solvitur per equivocacionem corruptionis, ut in littera patet.

concupiscentiæ, & ira intelligitur. Istas penas pauci vident; ideo eas maxime commemorat Apostolus in Epistola ad Romanos, cap. 1. & enumerat multa quæ peccata sunt, & pena peccati. Item, ibid. Inter primum enim peccatum apostasiæ, & ultimam penam ignis æterni, media quæ sunt, & peccata sunt, & pena peccati. Gregorius quoque super Ezech. hom. xv. ait: „Contempti, qui non vult penitere, ponit Deus offendiculum, ut scilicet gravius impingat: peccatum enim quod per penitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati; aut peccatum, & pena peccati; aut peccatum simul, & causa, & pena peccati. Unde Moyses, Genes. xv. 16. Nondum sunt completa peccata Amorrhæorum: & David inquit, Psalm. lxxviii. 28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & alius Propheta, Osee. iv. 2. Sanguis sanguinem tetigit, idest peccatum peccato additum est. Paulus quoque ait, Rom. i. 26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie: item, I. Thessal. ii. 16. Ut impleant peccata sua semper. Joanni quoque per Angelum dicitur, Apocal. xxi. 11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Ex his testimoniis colligitur; peccatum aliquod & peccatum esse, & penam peccati.

Ex prædictis questio oritur, scilicet an in quantum peccatum est, sit pena peccati.

ET ideo merito queritur, utrum in quantum peccatum est, sit pena peccati: quod non videtur, cum omnis pena peccati justa sit. Unde Augustinus in Lib. I. Retractat. cap. ix. „Omnis pena peccati justa est, & supplicium nominatur. Si ergo peccatum quod est peccatum, & pena peccati, in quantum peccatum est, pena peccati est; cum omnis pena justa de justitia Dei veniat, videtur, in quantum peccatum est, justum esse, & à Deo provenire. Ad quod illi respondent, peccatum sic dici penam peccati, quia per peccatum in quod merito præcedentis peccati homo labitur, deserente Deo, corrumpitur bona natura. Sicut æternus ignis dicitur pena malorum, quia eo cruciantur; nec tamen ipse cruciatus malorum, ignis est, sed per ignem fit in homine; (1) ita per peccatum corrumpitur natura, & minuitur bonum naturæ, & est ipsa minutio, & corruptio boni, passio, & pena; & non est essentialiter illud peccatum per quod fit; sed ideo peccatum dicitur, ut præmissum est, quia per peccatum, illico (2) ut peccat homo, fit in homine illa corruptio; (3) quæ tamen fit Deo auctore. Illa enim pena, sive passio, quæ est boni corruptio, à Deo est; illius autem, ut sic dicam, materia, & causa est peccatum, quod à Deo non est. Quod videtur Augustinus notasse, & juxta hunc sensum intellexisse, cum ait in Lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. x. „Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; sed præscivit Deus, etiam quæ non est ipse facturus, idest omnia mala. Quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt ut etiam pena sint peccati, secundum illud Apostoli, Rom. i. 26. Tradidit illos Deus (4) in passiones ignominie; non tamen peccatum Dei est, sed judicium, scilicet pena. In Scriptura enim sæpe nomine judicii peccata intelligitur. Hic diligenter intendentibus insinuari videtur, ea quæ peccata sunt, & pena peccati, non in quantum peccata sunt, Dei esse; sed in quantum pena, Dei esse dicuntur. Nam cum dixisset, Deum non esse facturum mala aliqua, idest peccata: quia posset ei objici, quædam peccata esse etiam penas peccati; & pena peccati omnis justa est, & ideo à Deo est: quasi determinando, secundum quid faciat ea, vel secundum quid non faciat, addidit reliqua. Juxta vero prædictam intelligentiam peccata sane dicuntur pena. Unde Apostolus appellat ea passiones ignominie, quia, ut ait auctoritas, (a) licet quædam peccata sint quæ delectent, sunt tamen passiones naturæ non nominandæ, quia per ea corrumpitur natura.

Quod cum omne peccatum possit dici pena, non tamen omne est pena peccati.

ET licet ex hoc sensu omne peccatum mortale possit dici pena, non tamen omne peccatum potest dici pena peccati. Pena enim peccati, ut prædictum est, est illud cujus causa est aliud præcedens peccatum. Nam peccatum sic dicitur pena peccati respectu præcedentis, sicut dicitur causa peccati respectu sequentis. Quo fit ut idem peccatum & causa sit, & pena peccati; sed alterius peccati pena; & alterius causa. Ut enim Gregorius in Moralibus ait, Lib. XXV. cap. xii. „peccatum quod penitentia non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed etiam causa peccati. Ex illo quippe culpa subsequens oritur. Peccatum vero quod ex peccato oritur, non solum peccatum, sed & pena peccati est: quia justo judicio Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in alia cadat: quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Proinde, ut Augustinus ait, (b) contra Jul. Lib. V. cap. 111. præcedentis est hæc pena peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est. Judicio enim justissimo Dei traditi sunt, ut ait Apostolus de quibusdam, sive deserendo, sive alio modo explicabili, vel inexplicabili, in passiones ignominie; ut crimina criminibus vindicarentur, & supplicia peccantium non tantum sint tormenta, sed & vitiorum incrementa. Illa ergo peccata quæ enumerat Apostolus, quia de superbia sunt, non solum peccata, sed supplicia sunt. Ecce autem ex his jam fit perspicuum, quædam peccata etiam penas, & causas peccati esse; & illud peccatum esse penam peccati quod causam præcedentem habet peccatum; atque illud peccatum esse causam peccati quod est meritum sequentis culpa.

(1) Item, præmisso puncto affirmationis. (2) Al. ubi. (3) Nicolai quædam. (4) Augustini textus, ut novat Nicolajus: in reprobam mentem, ut faciant ea quæ non conveniunt.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Nempe Glossa super illud quod ad Rom. I. de præpostero usu contra naturam inculcatur. Nullius autem nomen præfert, sed ad marginem insinuat quod in Decretis causa xxxii. quæst. vii. cap. Usus ex Augustino desumptus est. (b) Non eo loco tantum, unde prior appendix æquivalenter colligitur; sed Lib. I. contra Adversarium Legis, & Prophetarum cap. xlii. ex quo expresse posterior sumitur, ut & ex illo refert Beda in Epist. ad Rom. cap. i. super illud, Mercedem quam oportuit recipientes, &c.

Ex prædictis videtur significari, ipsa eadem quæ peccata sunt, esse penas peccati.

Sed cum ait, crimina criminibus vindicari, videtur insinuare, ea ipsa quæ peccata sunt, essentialiter esse penas peccati, idest puniores peccati. Ad hoc autem, inquit illi, hæc, & similia dicta esse secundum rationem prædictam; & ideo intelligenda fore secundum præmissam expositionem. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi.

Quod non obviat veritati, si quis dicat, ipsa peccata esse penas peccati essentialiter.

In nullo tamen præjudicium fieri veritati putatur, si quis dicat, ipsa eadem quæ peccata sunt, essentialiter, ut ita dicam, esse penas, idest puniores peccatorum præcedentium, quæ justæ sunt, & à Deo sunt; nec tamen in quantum peccata, à Deo sunt, nec in quantum peccata sunt, pena peccati sunt; & tamen in quantum peccata sunt, privationes boni sunt. Sed, ut supra dictum est, causaliter, & active dicuntur privationes.

Aperte ostendit, peccata quædam esse penam peccati, & penam ipsam justam (5) esse, & à Deo.

Quod autem quædam peccata pena sint, & ipsa pena justa sit, & à Deo sit, evidenter tradit Augustinus in Lib. I. Retractat. cap. ix. ita dicens quædam necessitate fieri ab homine, quæ mala sunt, ut eadem justa pena peccati sint. „Sunt, inquit, quædam necessitate facta improbanda; ubi vult homo recte facere, & non potest. Unde est illud Apostoli, Rom. vii. 19. Non quod volo facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago: & illud, Galat. v. 17. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim invicem sibi adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Sed hæc omnia ex illa mortis damnatione sunt. Nam si non est ista pena hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est homo; cum hæc facit, ea vique facit quæ debet. Si autem homo, quia ita est, non est de se bonus, nec habet in potestate ut sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo, & non valendo esse qualem se esse debere videt; penam istam esse quis dubitet? Omnis autem pena si peccati pena est, justa est, & supplicium nominatur. Si autem injusta est pena, quoniam penam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei, & justitia dubitare dementis est; justa est hæc pena, & pro peccato aliquo impenditur. Non enim quisquam injuste dominans aut surripere hominem potuit velut ignorantem Deo, aut extorquere invito, tamquam invalidiori, ut hominem injusta pena cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc pena justa de damnatione hominis veniat. His, atque aliis pluribus testimoniis docetur, quædam esse peccata, & penas peccati essentialiter.

De quibusdam quæ sine dubio peccata sunt, & pena, ut ira, & invidia.

Preterea nullatenus ambigendum est, quædam peccata absque ullo scrupulo penas esse; ut invidia, quæ est dolor alieni boni, & ira; quæ etiam non in quantum penas sunt, peccata sunt. Ita etiam de cupiditate, & timore, & aliis hujusmodi sentiendum est. Unde Augustinus in Lib. lxxxiii. Quæstion. quæst. lxxvii. ait: „Omnis perturbatio passio. Omnis cupiditas perturbatio. Omnis igitur cupiditas passio. Omnis vero passio cum est in nobis, ipsa passione patimur. Omnis igitur cupiditas cum in nobis est, ipsa cupiditate patimur; & in quantum cupiditas est, patimur ea. Omnis autem passio, in quantum ipsa patimur, non est peccatum. Ita & de timore. Non enim consequens est ut si patimur timorem, ideo non sit peccatum: quia multa sunt peccata quibus patimur, sed non in quantum patimur eis.“

Quod verbis Augustini præmissis quædam sententia Hieronymi obviare videtur.

Illud autem diligenter est annotandum, quod supra positus verbis Augustini dicentis, quædam necessitate facta esse improbanda, & mala, videtur obviare quod Hieronymus, Pelagius, ait in Explanatione fidei, ad Damasum, quod licet supra sit propositum, tamen, ut perfectius sciatur, iterare non piget. „Execramur, inquit, eorum blasphemiam qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari. Et paulo post: „Et tam illos errare dicimus qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Jo. viniano asserunt hominem non posse peccare. Ecce Hieronymus dicit, errorem esse, si quis dicat hominem peccatum vitare non posse. Qui autem dicit, quædam necessitate fieri, quædam dicit non posse vitari. Cum ergo id Augustinus dicat, videtur aut erroris esse quod tradit, aut non esse verum quod Hieronymus ait.

Determinatio contrarietatem submovens de medio Sanctorum.

Ad quod dici potest, quia Augustinus secundum statum hujus miserie, ad quam pertinent ignorantia, & difficultas, quæ ex justa damnatione descenderunt, ut idem ait in Lib. de lib. arb. illud tradidit, ubi & venialia peccata includit. Hieronymus vero de mortalibus tantum loquitur peccatis, quæ unusquisque gratia illuminatus vitare valet; vel de homine secundum statum liberi arbitrii ante peccatum illud ait Hieronymus.

(5) Al. esse à Deo.

Epilogum facit, ad alia transiturus.

Satis diligenter eorum posuimus sententiam qui dicunt omnes actus naturas bonas esse; & in quantum sunt, bonos esse; in quo tractatu quædam interseruimus quæ non ex eorum tantum persona accipienda sunt: qui ab omnibus catholice sapientibus absque hæsitacione tenentur, atque auctoritatum testimoniis, & rationibus eorumdem traditionem munivimus, qui dicunt omnes actus essentia sui, idest in quantum sunt, esse bonos; quosdam vero in quantum inordinate fiunt, peccata esse. Addunt quoque quosdam non tantum essentia, sed etiam genere bonos esse; ut reficere esurientem, qui actus est de genere operum misericordiarum: quosdam vero actus absolute, ac perfecte bonos dicunt, quos non solum essentia, vel genus, sed etiam causa, & finis commendat; ut sunt illi qui ex bona voluntate proveniunt, (1) & bonum finem metiuntur.

DIVISIO TEXTUS.

Pertractata illa opinione quæ ponit actus peccatorum, in quantum sunt actus, bonos esse, & à Deo, occasione ultimæ objectionis contra hanc opinionem inductæ, quæ sumebatur ex differentia culpæ, & pœnæ, hic inquiri, utrum possit esse idem culpa, & pœna: & dividitur in partes tres. In prima determinat quæstionem. In secunda remouet quamdam dubitationem incidentem ex his quæ in determinatione quæstionis dicta sunt, ibi: *Illud autem diligenter est annotandum.* In tertia ponit dictorum replicationem, ibi: *Satis diligenter eorum posuimus sententias qui dicunt omnes actus naturas bonas esse.* Prima dividitur in duas. In prima ostendit quædam peccata etiam pœnas peccatorum esse. In secunda inquiri, quomodo hoc possit esse, ibi: *Et ideo merito queritur, utrum in quantum peccatum est, sit pœna peccati.* Et dividitur hæc pars in partes duas. In prima parte ostendit modum quo peccata dicuntur esse pœnæ, non per se, sed ratione annexi. In secunda ostendit quod etiam ipsa peccata pœnæ esse possunt, ibi: *In nullo tamen præjudicium fieri veritati putatur.* Prima in tres dividitur. In prima ponit modum quo omne peccatum pœna potest dici ratione effectus, scilicet in quantum corruptionis naturæ causa est, quæ pœna quædam est. In secunda ostendit modum quo quædam peccata, etsi non omnia, pœnæ peccatorum dici possunt ratione causæ, quæ est subtractio gratiæ, ibi: *Et licet ex hoc sensu omne peccatum mortale possit dici pœna, non tamen omne potest dici pœna peccati.* In tertia excludit quamdam objectionem, ibi: *Sed cum ait, erimina criminibus vindicari, videtur insinuare ea ipsa quæ peccata sunt, essentialiter esse pœnas peccati.*

In nullo tamen præjudicium fieri veritati putatur. Hic ostendit ipsamet peccata pœnas peccatorum esse, & circa hoc tria facit. Primo proponit quod intendit. Secundo probat universaliter in omni genere peccatorum, ibi: *Quod autem quædam peccata pœnæ sint... evidenter tradit Augustinus.* Tertio probat specialiter in quibusdam generibus peccatorum, in quibus magis manifestum est, ibi: *Præterea nullatenus ambigendum est quædam peccata absque ullo scrupulo pœnas esse.*

Illud diligenter annotandum. Hic remouet quamdam dubitationem ex dictis Augustini supra inductis exortam, & circa hoc duo facit. Primo ostendit contrarietatem inter dicta Augustini, & Hieronymi. Secundo ponit solutionem, ibi: *Ad quod dici potest, quod Augustinus secundum statum hujus miseræ... illud tradidit.*

(1) Nicolai legendum forte arbitratur: & bonum finem intuentur: vel bono fine metiuntur: notans insuper in quoddam ms. subnecti reficere pauperem pro amore Christi.

QUÆSTIO I.

Hic quinque queruntur.

Primo. Utrum unum peccatum possit esse causa alterius peccati.

Secundo. Si passio possit dici peccatum.

Tertio. Si peccatum potest esse pœna peccati.

Quarto. Si omnis pœna pro aliqua culpa in homine sit.

Quinto. De distinctione bonorum, quæ in fine distinctionis innuitur.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum unum possit esse causa alterius peccati.

1. 2. q. xxv. a. 4. & de mal. q. viii. art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod peccatum unum possit esse causa peccati. Quod enim nihil est, non videtur habere rationem causæ. Sed peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant, ut supra in præcedenti dist. ex verbis Augustini, tract. 1. in Joan. habitum est. Ergo peccatum non potest esse causa peccati.

2. Præterea. Causa est ad quam de necessitate sequitur aliud. Sed quod est necessarium, non est voluntarium, ut Augustinus dicit: & quod non est voluntarium, non est peccatum. Ergo illud quod sequitur ad alterum sicut ad causam, non est peccatum; & ita peccatum causa peccati esse non potest.

3. Præterea. Unum contrarium non est causa alterius. Sed peccatorum unum contrariatur alteri, sicut avaritia prodigalitati. Ergo peccatum non potest esse causa peccati, ad minus cuiuslibet.

4. Præterea. Peccatum non potest esse causa peccati, nisi secundum quod ex peccato præcedenti aliquis inclinatur ad sequens. Sed non fit hoc, nisi secundum quod ex peccato præcedenti relinquitur dispositio, vel habitus. Cum ergo dispositio, & habitus non inclinent nisi ad actus similes in specie illis actibus, ex quibus generantur, videtur quod nullum peccatum possit esse causa peccati, nisi forte illius quod est sibi simile in specie.

5. Præterea. Philosophus in V. Physic. text. 11. & seq. probat quod motus non potest esse ad motum, quia sic in infinitum abiret. Ergo & eadem ratione si peccati causa esset peccatum, in infinitum iretur: quod est impossibile.

Sed contra. Rom. 1. 26. dicitur: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie, scilicet propter super-*

perbiam. Sed superbia peccatum est, & similiter ignominiosa passio de qua loquitur. Ergo peccatum est causa peccati.

Præterea. Comparatio matris (1) ad filiam, est comparatio causæ ad causatum. Sed unum peccatum dicitur esse filius alterius, ut Gregorius dicit, XXXI. Moral. cap. xvii. in nov. edit. Ergo unum peccatum est causa alterius.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod unum peccatum potest esse causa alterius peccati secundum triplex genus causæ, scilicet secundum modum causæ efficientis, finalis, & materialis. Per modum causæ efficientis dupliciter: vel per se, vel per accidens. Per accidens quidem ex parte aversionis, unde habet rationem mali: malum enim non habet causam nisi per accidens: & dico per accidens, sicut removens prohibens dicitur movens per accidens. Prohibens autem peccatum est ipsa gratia, quæ conservat animam in sua rectitudine, gratiam autem peccatum tollit: unde per accidens est causa peccatorum quæ accidunt subtracta gratia; & per hunc modum quodlibet peccatum mortale causa cuiuslibet esse potest. Potest etiam hic modus causandi reduci aliquo modo ad genus causæ formalis: sicut enim gratia est principium formale actus gratia informati; ita & privatio gratiæ, ex qua peccatum procedit, est quasi forma ejus cuius causa esse potest. Sed per se causa quasi efficiens unum peccatum alterius est ex parte conversionis, in quantum ex actu peccati relinquitur quædam dispositio, vel habitus in anima, inclinans iterum ad peccatum; sed hoc modo peccatum non est causa cuiuslibet peccati, sed tantum ejus quod est simile in specie, sicut luxuria luxuriæ, & sic deinceps. Per modum autem causæ finalis unum peccatum est causa alterius, in quantum unum peccatum advocat aliud in suum finem; sicut quando aliquis occidit hominem, ut vindictam ex eo sumat, hic ad finem iræ, qui est vindicta, advocatur homicidium: & hoc modo quodlibet peccatum potest ex alio causari, quia etiam potest aliquis actum prodigalitatis exercere ad tempus, ut avaritiæ finem consequatur; sed tamen ut in pluribus per hunc modum quædam magis sunt nata ex quibusdam generari, sicut homicidium ex ira, & mendacium ex avaritia: unde dicuntur hujusmodi peccata quæ ex aliis sæpius solent hoc modo provenire, eorum (2) filia esse. Per modum vero causæ materialis unum peccatum est causa alterius, quando unum peccatum ministrat materiam alteri; & sic gula est causa luxuriæ: quia venter mero astuans, facile in luxuriam spumat, ut dicit Hieronymus, epist. lxxxiii. sicut etiam avaritia est causa dissonionis, in quantum multiplicat temporalia, quæ litis materia sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum ex parte aversionis nihil est; & ideo ex hac parte non potest esse causa alicujus, nisi per accidens, ut dictum est, sed ex parte conversionis aliquid est, & sic potest esse causa alterius peccati secundum triplex genus causæ, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod ex causa sequitur effectus secundum conditionem causæ, & effectus: quia in quibusdam necessario, & in quibusdam non, sed ut in pluribus, sicut est in rebus natura-

libus, quia causa naturalis impediri potest. Similiter etiam (3) in moralibus multo minus oportet quod ex causa de necessitate effectus sequatur: quia in his nihil est causa completa, nisi adjuncto voluntatis actu, & subtracto omni impedimento: & quod dicitur, quod ad causam de necessitate sequitur effectus, intelligitur de causa completa non impedita.

Ad tertium dicendum, quod unum contrarium non est causa alterius per se; sed per accidens esse nihil prohibet; sicut frigidum calefacit, ut in VIII. Physic. text. viii. dicitur.

Ad quartum dicendum, quod illo modo quem objectio tangit, peccatum non est causa peccati, nisi si similis in specie; sed sunt & alii modi quibus unum peccatum est causa alterius: & ideo ex insufficienti procedit.

Ad quintum dicendum, quod si peccatum per se inesset quod haberet pro causa aliud peccatum, in infinitum iretur: quia sic oporteret quod omni peccato conveniret: sed hoc peccato accidit ut ex alio peccato causetur; & ideo non oportet in infinitum abire; sicut etiam motui accidit ut unus motus sit causa alterius, est tamen ponere primum motum qui non est causatus ab alio motu.

Ad sextum dicendum, quod illud modo quem objectio tangit, peccatum non est causa peccati, nisi si similis in specie; sed sunt & alii modi quibus unum peccatum est causa alterius: & ideo ex insufficienti procedit.

Ad septimum dicendum, quod illud modo quem objectio tangit, peccatum non est causa peccati, nisi si similis in specie; sed sunt & alii modi quibus unum peccatum est causa alterius: & ideo ex insufficienti procedit.

(1) Nicolai ad sobolem, & sic infra soboles. (2) Nicolai soboles. (3) Al. deest in moralibus.

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Inducatum videri potest loco cit. Sed expressius Lib. XIX. de Civ. Dei cap. iv. ubi paulo aliter tamen habetur, & à Beda refertur ad Galatas v.

libus, quia causa naturalis impediri potest. Similiter etiam (3) in moralibus multo minus oportet quod ex causa de necessitate effectus sequatur: quia in his nihil est causa completa, nisi adjuncto voluntatis actu, & subtracto omni impedimento: & quod dicitur, quod ad causam de necessitate sequitur effectus, intelligitur de causa completa non impedita.

Ad tertium dicendum, quod unum contrarium non est causa alterius per se; sed per accidens esse nihil prohibet; sicut frigidum calefacit, ut in VIII. Physic. text. viii. dicitur.

Ad quartum dicendum, quod illo modo quem objectio tangit, peccatum non est causa peccati, nisi si similis in specie; sed sunt & alii modi quibus unum peccatum est causa alterius: & ideo ex insufficienti procedit.

Ad quintum dicendum, quod si peccatum per se inesset quod haberet pro causa aliud peccatum, in infinitum iretur: quia sic oporteret quod omni peccato conveniret: sed hoc peccato accidit ut ex alio peccato causetur; & ideo non oportet in infinitum abire; sicut etiam motui accidit ut unus motus sit causa alterius, est tamen ponere primum motum qui non est causatus ab alio motu.

ARTICULUS II.

Utrum passio possit esse peccatum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod passio possit esse peccatum. Motus enim sensualitatis passio quædam est. Sed motus sensualitatis inordinatus peccatum est, ut supra dictum est. Ergo passio potest esse peccatum.

2. Præterea. Ira passio quædam est. Sed ira est unum de septem capitalibus peccatis, & potest esse mortale peccatum: & similiter invidia. Ergo passio potest esse peccatum.

3. Præterea. Omne quod contrariatur, & pugnat contra rationem, est peccatum: quia, ut dicit Augustinus (a) super Gen. ad lit. Lib. XI. cap. xi. *Nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit adversus spiritum.* Sed passiones ad rationem pugnant, ut dicit Dionysius in iv. cap. de div. Nom. Ergo passiones sunt peccata.

4. Præterea. Propter quod unumquodque tale, & illud magis, ut dicit Philosophus, I. Post. text. 11. Sed propter superabundantiam passionum quæ ad medium non reducuntur, à medio virtutis aliquis recedit, & peccatum incurrit. Ergo passiones peccatum sunt.

5. Præterea. Meritum, & demeritum, cum sint opposita, in idem genus reducuntur. Sed passionibus contingit mereri, sicut patet in martyribus. Ergo & passionibus contingit demereri; & ita passiones peccatum esse possunt.

Sed contra. Non contingit esse peccatum nisi illud cuius principium est in nobis. Sed passionum principium non est in nobis. Ergo passiones non sunt peccata.

Præterea. Secundum peccata aliquis vituperatur. Sed secundum passiones neque laudamur, neque vituperamur, ut in II. Ethic. cap. 5. dicitur: non enim vituperatur qui simpliciter irascitur, sed qui aliter quam

(1) Nicolai ad sobolem, & sic infra soboles. (2) Nicolai soboles. (3) Al. deest in moralibus.

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Inducatum videri potest loco cit. Sed expressius Lib. XIX. de Civ. Dei cap. iv. ubi paulo aliter tamen habetur, & à Beda refertur ad Galatas v.